Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Reliquis Vero p familias caath filiorum leuitici generis. hec est data possessio. de tribu effraym urbem confugii. sichem cum suburbanis suis in monte effraim. et gaher. et cepsan. et bethoron cum suburbanis suis ciuitates quatuor. Porro de dimidia tribu manasse thanach. et ietremon cum suburbanis suis. ciuitates due. De tribu quoq; dan. eltece. et iebethon. et ahialon. et iethremon cum suburbanis suis. ciuitates quatuor. Omnes ciuitates decem et suburbana earu. date sunt filiis caath inferioris Gradus.

Reliqui Dicuntur illi. qui de massa pditorum segregati. in celesti ierlm merent habere reliquias seminis sui. De quibus ppheta dicit. Beatus qui habet semen in syon. Qui p familias filiorum caath recensentur. qui pacientia ul molares dentes uel dolans. uel componens interpretatur. quia pacientia exercentur. panē sancte scripture comminuendo molares dentes efficiuntur. p actiuā uitam dolantur. p contemplatiuam componuntur. Qui leuitici generis esse describuntur. quia ueri contemptores mundi celesti uocatione ad seruitutem dei assumuntur. Quibus nimirum hec possessio datur. ut eis celestiū mysteriorum cognitio apiatur. Accipiunt g urbem confugii. sichem cum suburbanis suis. cum libri dabreiam in intelligentiam pcipiunt. cum allegoriis et moralitatibus suis. Sichem enī humeri ul labor interpretatur. quia liber iste magna celestium mysteriorū mole aggrauatur. Sichem urbs confugii uocatur. quia in scriptura huius libri magna multitudo diuinorum sacramentorum occultat. Vrbs sichem in monte effraym esse scribitur. qui frugifer uel crescens dicitur. quia huius scripture intelligentia. actiue uite fructificationem et contemplatiue uite augmentationē loquit. Gaher. precisio uel diuisio dicitur. p quam liber Iob exprimitur. cuius uita uelut a texente tela preciditur. qui a consortio hominū diuiditur. dum a planta pedis usq; ad uerticem uermibus scaturiens. et ulceribus defluens in sterquilinium proicitur. Cepsan congregatio dicitur. p quam liber ehdre uel neemie exprimitur. p quem captiuitas plebis hebraice colligitur. cuius scriptura magna mysteriorum densitate inuoluitur. Bethoron domus sublimium interpretatur. p quā liber Hester figuratur. qui gesta magnorum loquitur. dū mardochei exaltationem. et aman dampnationem psequitur. Ciuitates iste quatuor cum suburbanis suis dantur leuitis. quia sancte scripture munitiones. quatuor redemptionis mysteria in se continentes. uel prudentiam. iusticiam. fortitudinem. et temperantiam docentes. cum allegoriis et moralitatibus suis. De tribu effraym qui frugifer uel crescens dicitur. quia de societate illa celestium spirituum. que frugibus eterne uisionis reficitur. que augmento sempiterno letatur. hec sacre scripture intelligentia ad terras deponit. Eltece protulit interpretatur. p quam liber Esaye figuratur. qui sic euidenter mysteria xpi protulit. ut non ppheta. sed euglista computetur. Iebeton sublimitas eorum uel collis meroris dicitur. p quem Ezechiel exprimitur. qui sublimia loquitur. cuius liber lamentationibus carmine et ue inscribit. Ahialon campus dicitur. p quē Ieremias exprimitur. qui lilium campi descriptione sua decenter loquitur. Ecce inquit dns nouum faciet in terra. femina circumdabit uirum. Iethremon torcular sublimium interpretatur. p quam Daniel designatur. qui iudicium futurum mirabiliter eloquitur.